



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Præfatio Commentariorvm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)



TERTIA PARS SUM- MAE THEOLOGIAE ANGE- LICI DOCTORIS SANCTI THO- MAE AQUINATIS:

CVM COMMENTARIIS ET DISPUTA-
tionibus P. Francisci Suarez, à Societate Jesu.

PROLOGVS.

QUIA Saluator noster Do-
minus IESVS Christus,
teste Angelo, populum
suum saluum faciens à
peccatis eorum viam ve-
ritatis nobis in seipso de-
monstrauit, per quam ad
beatitudinem immortalis vitæ resurgendo
peruenire possimus, necesse est, vt ad con-
summationem totius Theologici negotij,
post considerationem vltimi finis humanæ
vitæ, & virtutum ac vitiorum, de ipso omniū
Saluatore, ac beneficiis eius humano generi
præstitis, nostra consideratio subsequatur.
Circa quam primo obseruandum occurrit
de ipso Saluatore. Secundò, de Sacramentis
eius, quibus salutem consequimur. Tertiò,
de fine immortalis vitæ, ad quam per ipsum
resurgendo peruenimus. Circa primum du-
plex consideratio occurrit. Prima est, de ip-
so incarnationis mysterio, secundum quod
Deus pro nostra salute factus est homo. Se-
cunda de iis, quæ per ipsum Saluatorem no-
strum, id est, Deum incarnatum sunt acta &
passa:

PREFATIO COMMENTARIORVM.

DE Christo Seruatore nostro disputa-
turus D. Thom. illum statim in proe-
mio tanquam altissimum scopum,
totiusque materiæ subiectum funda-
mentum proponit: Cumq; in eodem
Redemptore nostro, diuina & humana natura mi-
rabili nexu coniungantur: præclare certe ab ipsa v-
triusque naturæ coniunctione, quæ à Theologis In-
carnatio dicitur, huius operis, & nomen, & appella-
tio desumpta est. Non enim de omnibus, quæ in
Deum, & hominem conueniunt hoc loco differi-
tur (illud videlicet totius Theologiæ negotium est)
sed de ipso ineffabili duarum naturarum consortio
Fr. Suarez. Tom. 1.

A in Christo Iesu, deq; proprietatibus, quæ ab ea vnio-
ne singulari proficiuntur. Quam ego rem, sicuti *Difficilius
hunc dispen-
sationis.*
grauibus, ac perobscuris difficultatibus innotutam
esse non diffiteor: ita nobilitate ac splendore (augu-
stissima Trinitatis mysterium semper excipio) cæ-
teris totius Theologiæ quæstionibus antecellere iu-
dico. Conspirat in hanc sententiam Dionys. Areop.
cum inquit: Iesu in carne apparitio, & ineffabilis est ser-*2. capit. de
diuin. nomi-
nibus.*
uone omni, & omni ignota intelligentiæ, ipsi quoque an-
tiquissimorum Angelorum primati non satis perspecta. Conspi-
rat Damascen. qui mysterium hoc vocat, Nouum o-
minum nouorum, & solum sub sole nouum, per quod Dei
apparuit infinita virtus, bonitas, & sapientia. At B. Leo
Pont. Max. cum esset ipse cardo & vertex totius Ec-
clesiæ, hoc sacramentum miraculorum quasi omnium
cardinem & verticem celebravit. Cyril. autem Ale-
xan. ad Reginas ait. Hoc esse quasi enigma sacratissimū,
quod summa potius veneratione suscipiendum est, quam
humani iudicii trutinæ subiiciendum. Quis enim quæso
explicare audeat, quomodo eadem persona fuerit
sine mutatione bis genita? Quomodo increatus ho-
mo, ex hominis natura creata, Verbiq; persona fue-
rit sine imperfectione cōpositus? Ex patre sine ma-
tre ante secula genitus? Quomodo ex matre sine
patre fuerit in tempore procreatus? Quomodo de-
nique terra virginea, nulla hominis opera exculta,
sed Spiritus sancti virtute fecundata, integra, & in-
contaminata perseverans Deum absconditum hu-
mani generis conseruatorem, ac vindicem germi-
nari? Quid igitur mortalis homo, de tanto myste-
rio proferre possit, digne vt par est? Ant quo pacto
ad tanti sacramenti inuestigandum modum, ratio-
nem, aut causam, accedere nō perhorrescat? Quam-
obrem merito Agap. Pap. scriptum relinquit. Solius *Epistola ad
fidei contemplatione cernendum esse, ad quæ prouebatur
Animum.*
humilitas carnis, ad quæ etiam inclinetur altitudo Deita-
tis, quid sit, quod caro sine Verbo non agit, & quid, quod
verbum sine carne non efficit, quomodo Christus ita inter
Deum, & hominem mediato apparuit; vt solita sublima-
ret in solitis, & insolita solitis temperaret. Quid igitur? In
limine subsistemus? despondebimus animum, & à
tanti mysterij inuestigatione desistemus, eorum ve-
timebimus reprehensiones, qui in scholasticos Theo-
logos inuehuntur, quod de tantis mysteriis subtili-
ter disputent, altiora se quærant, & plusquam oport-
eat, contra sapientis, & Apostoli præcepta sapere nō
timeant? minime vero, hæc enim ad eos spectat, qui
vci infideli, & arroganti animo perferuntur diui-
na, quam obrem diuinitus sit, vt ab ea quam non
qua-

*P. 104. 25.
Athan. in
libro quod
vult sit
Christus.*

querunt divina gloria, & maiestate potenter oppri-
matur. De quibus perinde merito dixit Athanasius,
ideo in hoc pertractando mysterio fuisse prolapsos,
quod de illo, & quomodo, & qualimodo fiat curiosius
inquirunt, à nobis vero ea potius mente hæc sacra-
tissima mysteria tractanda, & inquirenda suscipi-
tur, ut gratis animis summa Dei beneficia recola-
mus, piisque mentibus ab antiquorum patrum vesti-
gijs, ne latum, ut aiunt, vnguem, videamur discede-
re. Eamque ob rem licet in hoc divino mysterio, quæ
tractantur omnia supra sensum nostrum, supra ra-
tionem, supra captum omnem sita sint, utpote diu-
ni illud me tamen inter tot difficultatum scopulos
consolatur, ac recreat, in tam immensa, tamq[ue] inac-
cessa supernorum caligine tantam splenduisse diu-
ni luminis claritatem, tam apertam fidei regulam
nobis esse propositam, tam luculentem, tam apte, tan-
que sapienter à sanctis Patribus, & Ecclesiæ doctori-
bus esse illustratam, tam denique purgatam erroribus,
ut nisi in meridiana luce (quod aiunt) velimus
excutire, atque à vera doctrina, quasi sponte desle-
ctæ, quæ de tanto mysterio scire nos convenit, conse-
qui feliciter, iuvante Deo eiusque matre sanctissima
intercedente, difficile non sit. Quod eo facilius
atque securius me in hoc opere assequuturum con-
fido, magis Angelici Doctoris placitis, ac sententijs
inherere, eiusq[ue] sensu omni industria, summaq[ue] dili-
gentia rimari in animo est. Quippe ea est apud me
eius autoritas, ut illius vigilijs insitens, nullos aut
itineris errores, aut difficultatum nodos, vel demum
inextricabiles argumentorum laqueos pertimescam.

*Triplici
Theologia
consideratio,*

Atque ex his, quæ de huius doctrinæ materia à me
dicta sunt, eius dignitas colligi facile potest: quam-
que merito à Theologis disputetur: cum enim Theo-
logia tribus fore modis, aut nominibus versetur cir-
ca Deum, vel eius naturam cõtemplando, vel ipsius
virtutem & bonitatem, qua suis se creaturis libera-
liter communicat, vel ultimi finis ratione ad quem
omnia tendunt, in quoque quiescant, omnibus his
modis seu rationibus præfens cõsideratio ad Theo-
logum pertinet. In primis enim quædam Dei natu-
ra nobis in hac materia consideranda est, non quidem
connaturalis & propria, sed assumpta: deinde
de supremo, ac perfectissimo diuinorum operum
dicendum: ac denique de certa & unica via, per
quam homines ad beatitudinem pergunt, & præci-
puo medio, quo finem ultimum consequuntur. At
enim, dicet aliquis, cur igitur tam nobilis de Deo di-
sputatio in postremum Theologiæ locum reiecta
est? Si enim coniunctionem ad Deum consideres,
videtur post tractationem de ipso Deo, qua unus
& trinus est, collocanda: si vero rationem omnipoten-
tiæ diuine contempleris, esset omnibus operibus
creationis anteposenda: Si denique rationem finis
ultimi attendas, nullum est medium ad eum finem
assequendum, vel excellentius, vel efficacius, Chri-
sto Domino, qui & omnis gratiæ, & meriti fons est
ac origo, & secundum Deum ipse etiam finis noster
est, & felicitatis nostræ pars quædam præcipua. Hac
igitur etiam ratione, hæc disputatio cæteris Theo-
logicis præferenda videretur, non est tamen diffi-
cile illius ordinis ac methodi, quam Theologi om-
nes sequuntur, probabilem rationem reddere. Est
enim Christus Deus & homo, ex Deo & humana na-
tura ineffabili modo compositus, quæ quidem con-
iunctio omnibus gratiæ & creationis operibus ex-
cellentior est, quia tamen nexus est quidam inter
Deum & naturam creatam, idcirco oportuit de sim-
plicibus extremis prius disputare, quam de illorum
coniunctione tractaretur. Neque enim potest id,
quod ex alijs rebus componitur, distincte agnosci,
rebus ipsius, quæ in eam compositionem veniunt, i-
gnoratis: sic enim propter similem causam D. Tho-
mas in prima parte, prius de spirituali & corporea

*Quia ordo
seruetur in
tractatione
huius parti.*

Solutio.

creatura, quam de homine, qui ex utraque constans
disputavit. Accedit, redemptionem hominum ex-
titisse vnam ex præcipuis causis nobisq[ue] notioribus
propter quam hoc mysterium confectum est, quæ
hominis creationem, & lapsum ab statu iustitiæ, in
quo conditus fuerat, supponit. Cum ergo mysteriū
hoc, tanquam primum & commune remedium con-
tra peccatum à Theologis consideretur, convenien-
tissime, ut etiam in hoc proœmio D. Thom. scri-
psit, post ultimi finis, & humanæ libertatis ac gratiæ,
virtutumque & vitiū considerationem, ista de
Christo subsequitur. Quo etiam factum est, ut post
eam, disputatio de rebus ab ipso Christo Domino
gestis, & de sacramentis ab eo constitutis aptissime
accedat, quibus nullis aptior in Theologia locus ex-
cogitari poterat.

Vnde sit hæc ultima Theologiæ pars in duas
præcipuas à nobis esse diuidendam, quarum prior,
quam præ manibus habemus, de Christo Domino
disputat, eiusq[ue] sanctissima matre: posterior vero de
sacramentis erit, quam D. Tho. felici morte præ-
ventus absolueri non potuit. In ea tamen perficienda no-
strum laborem & operam, Deo fauente, pro viribus
impendemus.

Interrogabit fortasse quispiam, cum, Aristotele
teste, de rebus singularibus & indiuiduis non possit
esse scientia. Quomodo de Christo Domino, quem
nostræ speciei indiuiduum quoddam esse aperte con-
stat, doctrina instituat. Responderi facile potest
de singularibus quidem contingentibus scientiam
esse non posse. De necessarijs autem qualis Deus ipse
est, optime posse: Christus vero consideratur in hac
scientia sub reuelatione diuina, sub qua necessitas
quædam, & infallibilis rerum connexio & veritas
reperitur: & ideo mirum non est, quod de ipso pro-
pria scientia instituat. Sed illud præcipue con-
siderandum est, quoniam Christus indiuiduum
quoddam sit, rationem tamen Incarnationis, quæ
in ipso est ex se vniuersalem esse, & habere, ut ita di-
cam, naturam suam & communem essentiam cau-
sasque & effectus, & proprietates illam consequen-
tes. Ex quibus aptissima materia efficitur, in qua
scientia versari possit. Sunt vero res aliæ in hac ma-
teria, quæ ad historiam potius quam scientiam per-
tinere videntur, ut sunt ea quæ ad vitam Christi Do-
mini, mortem, resurrectionem, & alia huiusmodi
mysteria contemplanda referuntur, de quibus in

Theologia sermo habendus est, tum propter eorum
summam utilitatem: tum etiam, ut quod huius sa-
pientiæ munus est, eius quæ in nobis est fidei con-
uenientem rationem tradat. Quocirca partem hæc
seu totum hoc opus de Incarnatione in duas præci-
puas partes subdiuidere possumus: ut altera, quæ
in modum scientiæ perfectius traditur, mysterium
ipsum præcise, ac secundum se, & proprietates eius
speculetur: quam D. Thom. à 1. vsque ad 26. quæ-
stion. maxime persequi videtur: altera vero, quæ
vsque ad quæstio. 59. protenditur: mysteria vitæ &
mortis Christi, simulq[ue] beatissimæ Virginis cogni-
tionem tradat. Veraque vero istarum partium vi-
res alias continet, quarum particio, ac distributio in
quæstionum, ac disputationum decursu conuenien-
tius fiet.

Supere est, ut de titulo, seu materiæ inscriptione
paucā dicamus: neque enim defunt nonnulli nimi-
um Latini, qui vocem ipsam incarnationis, quod
Latina non sit reprehendant, quin potius refert A-
thanasius sermone de sanctissima Deipara, interdū
Catholicos illa uti formidasse, ne diuinum Verbum
solam carnem sine anima sumpsisse cum Apollinari,
& Ario sentire viderentur. Sed non est quod vel vo-
cis nouitatem, vel periculum timeamus. Vulgare
enim est illud Ciceronis, inuentis nouis rebus noua
licere adinuenire vocabula, quæ tunc maxime omni
reprehensione & periculo carent, cum & in re ipsa,
& in

Obiecta.

*Solutio.
De singulari
quomodo sit
scientia.*

*Lib. 1. Aca-
dem.*

& in vfu sapientum fundamentum habent. Hæc autem incarnationis vox in ipso mysterio, quo Verbum caro factum est, & in his eisdem verbis, quibus Euangelista Ioannes illud explicuit, fundata est. Nomen vero carnis tam in verbis Ioannis, quam in voce incarnationis non excludit animam, sed ab ignobiliore parte integram humanam naturam significat, vt Ambrosius & Augustinus variis locis adnotarunt: & optimè Cyrillus Alexand. lib. de Incarnatione Vnigeniti, c. 24. & D. Thom. 4. contra gent. cap. 33. Et fundamentum habet in frequenti vfu Scripturæ sacræ, in qua nomine carnis totus homo significari solet, vt constat Genes. 6. Omnis quippe caro corruerat viam suam. Et Luc. 3. Et videbitis omnem carnem salutare Dei. Ad Rom. 3. Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo, & sæpe alias. Hæcigitur ratio ad significandam humanæ naturæ assumptionem, antiquissimi, & lingue Latinæ peritissimi Patres vniuntur hac voce. Leo Mag. concione 2. de Natiuit. Laſan. libro 4. diuinam institutionem, capite 11. Cyprian. lib. 2. contra Iudeos, capite 2. Augustinus 9. de Ciuitate, capite 17. & Hieronymus in id Marc. 1. Non sum dignus soltere corrigiam calceamenti eius. Et eandem vim habet vox Græca *σάρκα*, qua vtiur Cyrillus libro de Incarnatione Vnigeniti, & Damascenus libro 1. de fide, capite 13. & libro 3. capite 6. vbi etiam *ἐκ σαρκος*, id est, inhumationem vocat. Hilarius vero in Prolog. Psalmorum corporationem, seu incorporationem appellat. Qua voce vfu etiam est Isidorus ad Florentinam sororem, capite 6. & Tertullianus lib. de carne Christi circa principium. Denique in symbolo Concilij Niceni habetur: *Et incarnatus est de Spiritu Sancto*, quæ vox aptissime ad hoc significandum mysterium accommodata est. Primum, quoniam, quod difficilius videri poterat, ac remotius à Deo, illa voce indicatur hoc illum effecisse pro nobis, personam suam imperfectiori parti humanæ naturæ copulando. Propter quod 2. Timothei 3. dictum est: Magnum esse pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne. Deinde notatur est illo nomine, Deum infirmitates nostras, & imbecillitates, quæ voce carnis significari solent, assumpsisse: vt homini qui peccando spiritum amiserat, Verbum caro factum, eundem spiritum restitueret. Et propterea de Christo loquens Paulus ad Hebræos quinto inquit: *Qui in diebus carnis sue*, &c. Vbi carnis nomine non quancunque, sed passibilem carnem significari plane constat. Terrio denique quoniam vera caro animam in se amplectitur: cum carnem viam animarum esse necesse sit. Et ideo Incarnationis nomine conuenienter totius humanitatis assumptio significata est. Quæ rationem indicauit Cyrillus in Epist. ad Nesto. quæ habetur in principio Concilij Ephesi. & Tertull. lib. de carne Christi, cap. 6.

Reliquum est, vt nonnullos autores, ac præcipuos fontes, ex quibus hæc de Incarnatione doctrina potest hauriri, designemus. Ex Concilijs præcipue adest Ephesi. quod in primo Tomo Conciliorum imperfectum habetur, integrum vero, ac perfectum, & in sex Tomos distributum noster Theod. Peltan. nobis illud restituit, in quo multa ex sanctis Patribus ad hanc materiam vtilissima, scituque dignissima continentur. Ex generalibus præterea Concilijs videnda sunt Chalcedon. & Lateran. sub Martino I. ex provincialibus Carthagin. 4. Toletana. 14. 6. & 11. vt alia omittam, quæ obiter hoc attingunt, & cuilibet obuia facile esse possunt. Quin etiam hoc pacto sancti Pontifices in suis epistolis decretalibus hæc de re multa tetigerunt: sed duæ notantur præcipue, altera Agapiti ad Antimum, altera Leonis ad Flauia, quæ est numero 10. de qua Gelafius Papa testatur illustre illud, anathemate damnandum esse, quid vel vnum illius tota in dubium reuocaret.

Fr. Suarez Tom. 1.

Multi deinde sanctorum Patrum varia opera de hoc mysterio incarnationis nomine, aut alio simili conscripserunt. Athanasius præsertim Fulgentius, Ambrosius, Cyrillus Alexandr. qui in explicando ac confirmando mysterio hoc, fere totam operam consumpsit, thesaurum maxime librorum de fide ad Theodosium atque Reginas. Tum demum alia, quæ in Ephesi. Concilio referuntur. Calsianus scripsit septem libros contra Nestorium ad Leonem Papam. Legi etiam possunt homilia Diui Bernardi sup. Misus est, & conciones D. Leonis de Natiuitate & Passionem. Et alij etiam Patres in similibus concionibus de Christo & Beata Virgine multa docuerunt, quæ in sequentibus latius percurramus. Doctores scholastici cum Magistro hanc materiam tractant in tertio libro sententiarum: nos vero in ea explicanda ordinem questionum, & articulorum D. Thomæ, quem exponendum suscepimus, obseruabimus. Hac tamē seruata ratione & methodo, vt prius breuem expositionem, seu Commentarium literæ, si obscure aliquid vel notatione dignum in illa occurrerit, præmittamus. Deinde proprias disputationes, earumque sectiones (hoc enim nomine ad vitandam confusionem vtemur) subiiciemus. Denique singulæ disputationes textui Diui Thomæ accommodatæ, omnes inter se ita connectentur, vt non modo intelligentiæ, sed etiam studioso Lectori semper consulatur, in cuius gratiam duo proxima capita, tanquam firmissima totius reliquæ disceptationis fundamenta, ante expositionem D. Thomæ, duximus esse præmittenda.

DISPUTATIO I. CONTRA IUDÆOS, in quatuor sectiones distributa.

Messiam iam venisse.



C in primis quid nomine Messie significetur, explicandum est. In hoc enim nos cum Iudæis conuenimus, illo nomine appellari, quendam hominem ex gente Iudæorum ducentem originem, à Deo, & Prophetis prædictum & promissum, in Regem & Salvatorem hominum, cuiusmodi promissiones tam frequentes sunt, & apertæ in Scripturis sacris, vt superuacaneum sit illas commemorare, præsertim quia ostendendo fuisse completas, necessario illas indicabimus: appellatus autem est Messias, vt pote futurus verus Rex, & Sacerdos, & Deus & homo, oleo diuinitatis vnctus. Psal. 44. Messias enim Hebræice idem significat, quod Græce Christus, Latine vnctus, vt late Engubius libro 3. de arcanis, c. 2. Hunc ergo Messiam promissum iam venisse, nullus qui Christiano nomine gloriatur, quantumuis hæreticus negare potest, cum quia hoc potissimum distat Christiana fides ab Iudæorum perfidia: tum etiam quia Christus disertis verbis id affirmavit Io. 4. cum enim Samaritana dixisset: Scio quia Messias venis, qui dicitur Christus. Dixit ei Iesus: Ego sum, qui loquor tecum. Et hanc veritatem inter alias confessus est Petrus illis verbis: Tu es Christus filius Dei viui, Matth. 16. Itaque solum contra Iudæos ex veteri Testamento, quod ipsi duntaxat admittunt, hæc veritas confirmanda est.

SECTIO I.

De testimonio Genes. 49. Non auferetur sceptrum de Iuda &c.

Est ergo celeberrimum testimonium, quod Iudæis obici solet, sumptum ex Genesi 49. Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse eris expectatio gentium.

A 2

Quæ

Patres & Doctores qui de Christi Incarnatione scripserunt.

Ordo Autoris.

Messias quid significet.

Engub.

Ioan. 4.

Matth. 16.

Genes. 49.

Cyrril.
L. Thom.

Genes. 6.
Luc. 3.
Roman. 3.

S. Leo.
Lactant.
Cyprian.
S. August.
S. Hieron.

Damas.
Hilarius.

Isidorus.
Tertullian.

2. Timoth.

Hebr.

Cyrril.
Tertull.

Conc. Ephes.
Theod. Pelt.

Chalcedon.
Lateran.
Carthagin.
Toletan.

Agapitus
S. Leo.
Gelafius.